



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

X. Beatam dicit Virginem M. Magdalena; quia ista est verior Maria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

10. Beatam dicit Virginem M. Magdalena.

Quia ista est verior Maria.

De Magdalena dictum est. *Optimam partem elegit.* Felicioꝝ in hoc Virgo nostra, illa doctrinam Christi, hæc Christum elegit, illa rivum, hæc fontem cum rivo. Illa aliquando septem dæmonijs repleta, hæc semper gratiâ plena: illa meretrix, hæc Spiritus S. Sponsa, illa Phiala; hæc, unica, formosa, columba, dilecta. Illa obtinuit Lazari fratris resurrectionem, sed in nomine hujus. Quærit s. *Chrysol.* Cur venit Magdalena cum pro Lazari vita oraret Martha, & respondet quia Magdalena erat Materni nominis bajula, habuit enim prænomen Maria. Illa ad pedes Christi sedit, huic attribuitur illud 3. Reg. 2. *Survexit Rex in occursum ejus, adoravit eam, & sedit super thronum suum, positus est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* Ex ore cranij S. Magdalena vitis germinavit eoque indicio ipsa reliquias suas demonstravit. Carolo Siciliae Regi apparens ei in carcere, ex eoque illum liberans ut refert *Surius* 22. Julij. De ore Virginis cœpit botrus cypri, quando Angeli nuncianti respondit. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Illa in solitudine Magdalena pascebatur solo cantu Angelico septies in diem repetito; hæc Virgo ab Angelis resiciebatur ut alibi diximus, in templo. Magdalena cruci adstitit Christi; Virgo verò Christum affectu offerebat; imò ut docet s. *Antonin.* p. 4. *Theolog.* tit. 15. c. 41. par. 1. Stabat ita Divinae voluntati conformis, quod si oportuisset ad implendam secundum rationem voluntatē Dei, ipsa Filium in cruce posuisset ac obtulisset, neque enim minoris fuit obedientiæ ac Abraham. *Laur.* *Justin.* de Agon. Christi c. 2. Clarissimum passionis Christi speculum effectum erat sor Virginis. c. 17. In corpore Filius, in mente erat crucifixæ Genitrix. Magdalena venit ad ungendum corpus Christi, sed Virgo non venit quia certò sciebat & expectabat Christum eodem die resurrecturum, undè sciebat hanc unctionem fore frustraneam. Ait *Cornel.* in *Matth.* c. 28. Et quia Virgini ante alios redivivus apparuerat, Magdalena fuit Apostola Massiliensium. *Enc.* *Dexter* in *Chronico.* Sacra Virgo Maria consilio, luce doctrinæ, & admirabili vitæ exemplo collegio præsidet Apostolico, nihilque grave gerunt illi, quod non eius consilio ductuque gerant. Ipsa ut docet *Rupert.* lib. 1. in *Cantic.* orcam inter Apostolos questionem de legalibus, resolvit. Magdalena vi amoris est mortua ut est in *Apoc.* 14. S. Virgo est amore mortua.

Aa 3

ii. Beatam